
B. N. C.
FIRENZE
1038
31

1038.31

31

103631

A3




Disputabuntur publicè in Comitijs generalibus Ord. Minim. An. 1646 M D



1038.31

# VERITATIS ENSIS

## AD REPELLENDAS ARISTOTELIS

Philoſophicas falſitates, veritateſq; naturales defendendas.

Eminentiſs & Reuerendiſs. D.

## D. BERNARDINO SPADAE

*S. R. E. Cardinali Ampliſsimo Ordinis Minimorum zelantiſsimo protectori*

A R. P. F. IOANNE BAPTISTA NERIO, à Petraſancta, eiuſdem Ordinis AEtruriæ Prouinciæ Commiſſo Conſecratus.

*QVOD facere intenderam, tandem opportunè (te auſpice) Eminentiſs. D. Morem præſens vſque ad ſeculum arrogat vetuſtas, quod in Pytagoricis, Platoniciſque ſat dixiſſe Magiſtrū, Ariſtotelicum eſſe axioma, nihil amplius de naturalibus, philoſophanti rationem. Quid infelicius? ergo ouium more, poſt vnam vna, ad ve-*

ritatis interitum, ? minimè. Rationi magis cõſonum, intellectui æquum magis hoc. cum nox nocti indicet ſcientiam, dies diei eructat verbum, & verbum bonum. opiniones ergo non mirum ſi falſitates Ariſtotelis propoſui impugnandas; id operæ pretium putaſſe, vnumq; hoc ſpectaſſe fateor, veritatis indubitæ indagationem repertam amplectendam, non ſubtilitatis ingenij faſtum, cum Minimus. Faxit à me perpetuò exoratus Deus, vt dum victricibus enſibus tuis philoſophicus cãdor veritatis triumphat in lilijs; ſic inhoſtes ſæui Catholicæ fidei, auſpicijs tuis Sacra coacti Romana dogmata venerari, dum Sacram purpuram exoſculans annorum diuturnitatem diuini fauoris patrocinium, cunctaque fauſta in alma Petri Sede precor.

1 HAbitus logicalis, qui pro obiecto materiali operationes intellectus habet (partialiter loquendo licet prædictę operationes in triplici ſpecie diuidantur ab Ariſtotele & Ariſtotelicis non benè, quoniam ſolum in vna ſpecie infima ſunt, ſcilicet diſcurſus) rectè diuiditur, in docentem, & vtentem, non ſicuti res à re, nec ſola ratione raciocinata; ſed ſolum ſicuti vna formalitas ab alia diſtinguuntur.

2 Nec adhibenda eſt fides Ariſtoteli primo Rhetoricorum ad Theodectem cap. 2. vbi negat logicam eſſe ſcientiam, ſicuti etiam cōfirmat 2 Metaph. cap 3. quando falſiſſimũ hoc ſit, loquendo, tam de vtente, quam de docente Logica. Verum eſt nihilhominus, tam vnam, quam aliam eſſe neceſſariam ſimpliciter ad alias ſcientias acquirendas in ſtatu perfecto, quamuis cōtrarium inſinuare videatur Ariſtoteles 5. Metaph. & primo phyſicorum tex. 2. de imperfecto ſtatu vtraque pars probabiliter defendi poteſt; eſt tamen contra Ariſtotelem primo poſt. cap. 2. hęc problematica concluſio.

3 Connumerāda eſt inter ſcientias philoſophicas ab alijs ſcientijs diſtincta, quę munus practici habitus habet; non concedit hoc tamen Ariſtoteles 6. Metaph. cap. 1. & primo magnorum moralium cap. vltimo. & 2. Metaph. c. 2.

4 Vtrum ſit nobilior alijs ſcientijs partem affirmatiuuam defendimus; & quanquam ſupernaturales ſcientias non excedat ſecundũ ſe conſideratas, excedit illas tamē prout eſt earum directiua, & hoc ſine dubio tenendum eſt.

5 A ratione obiecti huius practicæ ſcientię, excluduntur, omnes res, ſolæ voces externę, nec non ſolæ ſcriptę, aut prolatæ (loquendo de adequato obiecto in rigore) ens rationis; necnon operationes intellectus vt ſic, ſiuè vt dirigibiles, ſiuè vt dirigendæ accipiantur, non eſt tamen negandum quod omnes res in obliquo acceptæ poſſint

obiecti adequati locum in hac ſcientia ſibi vendicare, verum, ac indubitatum eſt, hanc concluſionem pugnare cum opinione Ariſtotelica 4. Metaph. cap. 2. præcipuè ſtando in expoſitione Diui Thomæ lectione 4.

6 Huiuſmodi ſcientię pro obiecto adæquato in rigore, materialiter loquendo ſeu remotè: aſſignamus aggregatum ex omnibus vocibus, tum internis, tum externis, tum rectis, quàm diſtortis ſimul ſumptis. Si tamen ſigillatim accipiantur, tam voces externæ, quàm internæ, ipſi pro obiectis partialibus concedendæ ſunt, dumodo excludamus primam aprehenſionem internam, quę ſolitariè accepta in numero obiectorum partialium non tenet locum; an hoc totum à mente peripatetica abſit, omni iudicio notum eſt.

7 Et quamuis prędicta tria aggregata vocum vnum obiectū adæquatum componant, vt dictum eſt, non tamen vnuſquiſque illorum, ſi ſolitariè accipiatur per incluſionem ſui, & non excluſionē alterius, nomen adęquati obiecti amittit; quare ſine dubio tenemus, quod deficientibus vocibus externis, tā de ore prolatis loquēdo, quā deſcriptis, adhuc remaneret logica, quamquam nō eadem, dumodo internę voces manerent, nunquam hęc veritas nihilhominus in mente Ariſtotelis cadere potuit.

8 Inter omnia ex tribus aggregatis, aggregato ex vocibus internis, tum rectis tum diſtortis nobiliorem locū concedimus; ſi poſtea de vocibus talem aggregatū cōponentibus eſt ſermo, ſolum ſyllogiſmo demōſtratiuo, quem etiam eſſe obiectum attributionis in rigore adæquatum concedendum eſt.

9 Ratio obiecti formalis, ſeu materialis proximi huius logicalis habitus rationi figuræ conceditur à nobis, prout admodum ſciendi ſpectat; tum formalē, tum inſtrumētalem, necnon admodum ignorandi: vel tanquam partes ſubiectiuę, vel integrales, vel tanquam diſpoſitio.

10 Clarè ergo conſtat quod dum definitionem logicæ in ordine ad ſuum obiectum formale aſſignare volumus, hęc

hęc relinquenda non erit,ſed potius accipienda videlicet ( Logica eſt ſcientia practica verſans circa omnes voces, tum internas, tum ore prolatas,tum ſcriptas, ſiue rectas, ſiue diſtortas; prout ſunt rerum figurę, certo, & determinato modo factę, quatenus obiecta repreſentata reſpiciunt) ſi autem in ordine ab obiectum attributionis deſiniatur; hæc non alia legitima erit ( Logica eſt ſcientia practica rectè ſyllogizandi. )

11 Ens,quod communiter rationis nuncupatur, etiam à nobis ſuperius à ratione obiecti Logicæ excluſum, illud eſt quod ſolũ eſſe obiectiuè,& non aliud in intellectu habet; ita vt omnes alij ſenſus ab intellectuali ſubſtãtia formaliter ſumpta,à ratione eius cauſæ excludantur, ſiuè de imaginatiua, ſiuè de voluntate; aut alijs externis loquamur,etſi cõcluſio hęc ad mentem Ariſtotelis videatur eſſe,in re tamen non eſt; quia ipſe ſupponit intellectiuam potentiam a ſubſtantia animæ diſtinctã, quod falſum eſt.

12 In quo actu conſiſtat eius efficientia,aut in qua terminatione ſubſtantiæ animæ ad obiectũ, nõ eſt dubium quod in terminatione iudicatiua directa, fieretque per propriam ſpeciem,ſuam, ſi ſpecies obiectiuæ impreſſæ darẽtur in natura rerum, verũ tale ens rationis in natura ſit poſſibilis,non reicimus vtramque partem, verũ eſt quod circa hanc partem concluſionis, ſolum in affirmatione exiſtentię neceſſarię talis entis ſiſtit peripateticus 4. Metaph. Teſt. 13. & 14. & lib. 6. Teſt. 8.

13 Et quanquam hoc ens imperfectiſſimum ſit inter alia entia, non tamen tantam imperfectionem ſibi vendicat ſi datur, vt à Deo fieri nequeat loquendo per diſſenſum, licet per aſſenſum ab eodem fieri non poſſit, eius autem cognitionem Deo non eſſe negandam ſuſtinemus, ſuppoſita tamen eius exiſtentia,& poſſibilitate, vt dictũ eſt.

14 Quia denominationes extrinſecę nõ habent tantum eſſe obiectiuè in intellectu quod eſt cõſtitutiuum entis rationis; ideo à genere talis entitatis excluduntur meritò, ſicuti etiam excludimus negationes, & priuationes.

15 Vniuerſale quod communiter definitur per eo quod ſit id, quod de pluribus aptū eſt, vt prædicetur, dari in rerum natura ab omnibus fatendum eſt, ſicuti etiam quod non ſit à ſingularibus ſeparatum.

16 Si aliquis dicat, quod vniuerſale conſtituitur per ens rationis, vel quod in ſpecie impreſſa conſiſtit; errat; quia vnitas formalis vniuerſalis in actione intellectus conſiſtit; quod cum de eius eſſentia ſit prædicabilitas, vt difficultates tollamus, aſſerimus ſolùm de prædicabilitate potentiali, non verò de actuali, quod in omnibus prędicabilibus locum habet.

17 Antiquam, & laudabilem diuiſionem vniuerſalium in quinque; ſcilicet, in genus, ſpeciē, differentiam, propriū, & accidens; quorum vniuerſale eſſe genus etiam concedimus, non admittenda tamen ſunt plura, nec pauciora.

18 Locum primum cum occupet genus inter prædicabilia ideò prius omni alio ipſum debemus definire; definitur ergo ſic (eſt id quod de pluribus differentibus ſpecie aptū eſt prædicare;) quæ definitio eſſentialis eſt, & omni generi conuenit; ſpecies autem cum tantam latitudinem non habeat; ita definiri debet (eſt illa quę de pluribus differentibus numero in eo quod quid eſt prædicabilitatem habet) Quę quidem definitio ſolum ſpeciei infimę competere debet.

19 Differentia quæ alia propria, alia cōmunis, & alia propriſſima eſt; dicendum eſt eſſe prædicabile de pluribus in quale quid; quæ diuiſio eſt vniuoca in ratione differentiæ; non tamen definiretur differentia vt ſic ſi diceretur, (differentia eſt illa quæ habet prędicare de plurib. differentibus ſpecie in quale quid) verū eſt quod quælibet differentia; redupplicatiuè accepta quęcumque illa ſit, habet excedere ſuum genus in perfectione, non tamen conſtituitur in eſſe vniuerſalis in ordine ad ſpeciē quam conſtituit ſed in ordine ad ſua inferiora differentia, ita, nec infimæ differentię quamuis omnium perfectiſſimæ ſint ſubalternas includere habent formaliter loquēdo; licitū

tamen

tamen hoc non erit dicere Ariſtotelicis, quia eorum Magiſter contrarium docet 4. Topicorum cap. 2. vbi inquit. omne quod participiat genus eſt, differentia autem neq; Indiuiduum neque ſpecies. & idē docet Metaph. teſt. 10.

20 Proprium quod ex prędicabilibus quartum eſt in ordine, comuni definitione ſi definiatur, optimè definitū erit, videlicet (eſt id quod conuenit, omnii ſoli, & ſemper) melius tamen ipſum definiemus dicendo (eſt prędicabile de pluribus vt quid cum eſſentia connexum).

21 Neque acceptanda eſt à rectè philoſophantibus porphyriana definitio de accidente, (quodcumque illud ſit) nempe quod ſit id, quod poteſt adeſſe, & abeſſe à ſubiecto abſque illius corruptione, cum fallacia propoſitionis ſit, benè quidem definitum remanebit ens accidentale, ſeù aduenièns, dicendo (eſt prædicabile de pluribus non vt proprietas dicens connexionem cum eſſentia. verum in ratione vniuerſalis conſtituatur per ordinem ad indiuidua accidentia, an in ordine ad ſubiecta accidentata, in hac vltima parte declinat mens noſtra; ſicuti, & propriū non in ordine ad eſſentiam à qua fluit; ſed indiuidua eſſentiata.

22 Inter prædicamenta quæ decem ſunt adeſt ſubſtantia, cuius eſſentia non conſiſtit in negatione eſſendi in alio formaliter redupplicatiuè, neque in eo quod ſit ſubiectū accidentium, ſed ſolum in eo quod per ſe ſit ab alio independenter tanquam à ſubiecto; hoc tamen verificatur de prima ſubſtantia, quę non accidit; nō vero de ſecunda quæ alio aduenit, & quamquam hæc noſtra propoſitio pugnet cum doctrina Ariſtotelis, & ſequentium illam primo phyſicorum cum de materia, & forma, eſt tamen à nobis defendenda ſine dubio.

23 Quæ ſubſtātiæ ponantur in dicto ſubſtantiæ prędicamēto, dico quod omnes illę, quę creatæ ſunt, vt Cęlum, elementa, homo, & vt vnico verbo me expediā, quidquid Creatum eſt, vnde non eſſet abſurdum dicere quod in re ſolum vnum prædicamentum detur, & quod modū de-

cem

cem ſine. Et hac via certior eſt illa Ariſtotelis, & ſuorum diſcipulorum, excludimus ab hoc prædicamento, Deum ipſum, Chriſtum vt Deum, quamuis non vt homo.

24 Ne ergo aliquis ex noſtra ſuperiori concluſione propoſitionē æquiuocā deduceret, videlicet quidquid eſt ſubſtantia eſt, & ego viderer accidētia negare, hinc eſt quod ob intelligentiam communem dico, vtique non dari accidentia Ariſtotelica, licet accidentia phyſica, quę à prima ſubſtantia ſeparantur, & ipſi adueniunt, & miraculosè ſine prima ſubſtantia exiſtere poſſunt, vt de facto euenit in Sacroſ. Sanctiſſimę Eucareſtiæ Sacramento; verum eſt quod ſemper retinent ordinem ad ſubiectum cū illis hoc ſit eſſentiale, & hoc explicaui ne mea concluſio reputata eſſet heretica, cum certo ſciam quod accidentia negare abſolutè, eſt contra fidem Cahtolicam.

25 Quantitas fundamentum corporeitatis, de eius eſſentia, eſt facere res extenſas in ordine ad ſe, non verò in ordine ad locum, nec diuiſibilitas niſi largè loquamur.

26 Negare in natura rerum relationes reales, quæ ad abſolutum terminentur, non ad reſpectiuum erroneum eſt; excludo tamen relationem traſcendentalem mutuam, quę ad abſolutum non poteſt habere ſuam terminationem; ſed ſolum ad reſpectiuum: ſumiturque eorū vnitas à fundamēto, & termino ſicuti, & diſtintio, & exiſtētia

27 Cum plures ſint definitiones, quę à Doctoribus traduntur de qualitate; videlicet quod qualitas ſit illa (qua quales quidam dicuntur); vel quod ſit accidens abſolutum conſequens formā; (aut accidens abſolutū ad complendam ſubſtantiam) hæc ſequens nihilhominus eligēda eſt videlicet (qualitas eſt accidens abſolutum, à quantitate diſtinctum adueniens ſubſtantiæ in eſſe quieto) verum eſt; quod hęc definitio nō eſt communis omni qualitati ſed ſolum ſecundis ſubſequentibus, non autem primis, & ſecundis antecedentibus; quando primæ qualitates illę ſint quę elementa determinant in eſſe elementi, & ſecundę antecedentes, quæ elementa ipſa ad quietem talē

ſigillant;

ſignāt; ſcio tamen hanc concluſionem eſſe Doctrinæ peripateticorum principis inimicam; atque ideo ab aliquibus ſpernendam.

28 In comuni ergo definitur qualitas ſic(eſt ens aduenięns alteri per modū inhęſionis qualificans,illud in quo ineſt) & quanquā videatur ſimilis Ariſtotelicæ definitioni traditę cum de qualitate cap.4. non eſt tamen ita,vt intuenti patet.

29 Quid dicendum ſit de vniuocis,ęquiuocis, & analogis prudentium iudicio remitto, ſolum ego affirmo quod, aut vniuocæ voces non dantur, vel ſi dantur difficiliter inueniuntur.

30 Quid autem ſcientia ſit, non eſt à via comuni recedendum; ſed aſſerendum eſt eſſe cognitionem rei per cauſā, per quam res eſt, & quod illius cauſa ſit, & quod aliter ſe habere non contingat.

31 Non eſt ſimiliter negādum ipſam ſcientiam fieri ex frequentatis actibus; de habituali loquendo: qui habitus ſcientificus, nō ſolum ad intēſionem actuum concurrit, ſicuti ceteri habitus,verum ad entitatem; non poteſt ſtare tamen habitus ſcientificus prædictus cum opinione in eodem ſubiecto circa vnum obiectum, nec cum opinione formido actualis, licet radicalis poſſit ſtare.

## EX PHYSIOLOGIA

*De principijs rerum naturalium.*

32 QVoniam Phyſiologia de rebus naturalibus tractat multi è numero ſciētiarum realium abſtulerunt, quorum princeps fuit Ariſtoteles lib. 2. de ortu,& interitu cap. 1. tex. 7. errauit tamen ipſe & alij cum illo, quoniam ſcientia ſpeculatiua eſt, non eſt tamen negandum, ſicuti nec nos negamus ipſam eſſe ignobiliorem alijs quamquam contrarium,non bene defendat Ariſt. 1. poſteriorum cap. 24.

33 Optimè definita remanebit ſcientia Phyſiologica dicendo (eſt ſcientia naturalis rerum cauſantium vnionem, & diſſolutionem phyſicam phyſicè) licet alia via procedat Peripateticus 10. Metaph. cap. 5.

34 Vndè fit, quod nos non errabimus ſi dicemus Corpus caducum non eſſe obiectum phyſiologię; ſicuti etiam Corpus miſtum excludendo Cælum, nec nō Corpus naturale, prout à ſubſtantiali, & accidentali abſtrahit, quia omnes iſtę opiniones in Ariſtotelis Doctrina fundatæ ſunt, vt patet ex primo Phyſicorum tex. 38. & 2. Metaph. cap. 2. & 13. à tex. 21. vſque ad vigeſimum nonum. nec bene philoſophus diſcurret dicendo; obiectum philoſophicæ facultatis eſt ſubſtātia naturalis, prout Angelū includit; ſiue ens mobile cum Ariſtotele eodem 2. Phyſicorum cap. 2. Tex. 28.

35 Eſt ergo obiectum huius ſcientię phyſicæ (loquendo de obiecto adęquato materiali) ipſa elementa tria, videlicet ignis, terra, & aqua, vt ſic conſiderata (ſi tamen de formali eſt ſermo), erit ipſa amicitia, aut inimicitia elementorum, prout tendit ad faciendum vnum per ſe vel iam factum diſſoluendum, & hoc ad mentem Ariſtotelis, & ſequentium illum non eſſe, non dubitamus.

36 Tenendum eſt etiam quod licet tria elementa prædicta conſtent obiectum adæquatum huius ſcientiæ per incluſionem ſui, & excluſionem alterius, duo tamen, per incluſionem ſui, & non excluſionem alterius obiectū vnū adæquatum facere poſſunt, ſicuti quod miſtum, ſit, hic, attributionis obiectum; contra Stagiritā 6. Metaph. Tex. 1. fatendum eſt.

37 Cum quælibet generatio, & corruptio, ſiuè ſit ſubſtantialis prima, ſiuè ſubſtantialis ſecunda, aut accidentalis (quomodoqumque vocetur) plura principia habeat, nō autem vnū tantū, nec duo, nec infinita; idcirco dicimus eius principia in fieri tria eſſe nec plura, nec pauciora (loquendo in ſenſu generico) ſcilicet, pars perfectibilis, pars perfectiua, priuatio perfectionis, ſiuè vnionis perfe-

ctiuæ

ictiuæ partis(quę an ſit diſtincta à re cuius eſt priuatio poteſt eſſe dubium ſtando in ſenſu phyſico) licet numericè loquendo quinque eſſe poſſint, & hoc debet defendi etiã ſi rationibus Stagiritæ repugnet.

38 Vtrum bona ſit definitio Ariſtotelis de principijs rerũ naturalium, quæ apud ipſum exiſtit libro primo ſuæ phyſiologię nempè (oportet enim principia, nequè ex alijs, nequè ex alterutris eſſe, ſed ex ipſis omnia) partem negatiuam non dubitamus ſubſtinere, cum ſibi ipſi ſit cõtrarius in eodem libro citato cap. 1. Tex. 2. benetamen definiũtur ſic (principia prima ſunt, quæ neque ex alterutris ſunt, ſed ex ipſis omnia, ſiuè in fieri, ſiuè in facto eſſe cõualeſcunt) & hoc de principijs in comuni philoſophatur. Si vero de principijs in particulari cuiuslibet rei eſt ſermo; hæc alia valida erit (principia ſunt illa vndè res ſunt, fiunt, aut cognoſcuntur)

39 Neceſſe eſt ergo, vt relicta materię & formæ ſubſtantialis in rerum natura exiſtẽtia, iuxta Ariſtotelicum, & Ariſtotelicorum ſenſum, negemus, tàm materiam primam, quàm formam ſubſtantialem, prout vna dicit ſubiectum alterius, cum ex admiſſione illius in mente Ariſtotelis primo phyſicorum multa abſurda ſequerentur.

40 Concedendum eſt tamen, & omnis fidelis defẽdere debet, quod dentur duę partes, quarum vna perficiat aliã, ſicuti Anima Rationlis Corpus humanum, cũ quo vnũ per ſe format phyſicum, ſubſtantialiter per ſe, vt Sanctiſſimè docet Concilium Viennenſe ſub Clemente quinto in Clementina vnica §. porro de Summa Trinitate: quod etiam à Lateranẽſe receptum & cõfirmatum fuit Seſſione 8. in quorum Conciliorum ſenſu, concedimus etiam nos formam, & materiam ſubſtantialẽ, cum in hoc nulla inueniatur repugnantia, immo ſit verè philoſophiæ fundamentum.

41 Fatendum eſt etiam quod ſi daretur materia prima, quę eſſet ſubiectum alterius ſubſtantiæ, benè eſſet definita per ſequentem definitionem (materia prima eſt primum ſu-

biectum

ſubiectum vniuſcuiuſque, ex quo aliquid fit cum inſit primò) quamuis Ariſtoteles contrarium teneat primo phyſicorum, & in Metaph. fatendum eſt ſimiliter & ratione quod dicta materia prima ſi daretur eſſet ingenerabilis, & incorruptibilis, haberetq; potentiã paſſiuuã ad omnes formas ſimul naturaliter recipiendas, non ſolum exiſtentes futuras verum, & poſſibiles, tam de illis quę nõ fuerant; quam de ijs quę fuerunt aliquando; quod etiam tenendum eſt de noſtris principijs reſpectu ſuarum vnionum, quæcunque illæ ſint, ſiuè accidentales ſiuè ſubſtantiales.

42 Et ſi aliquis dubitaret an prædicta materia poſſet plures formas habere ſimul ſi vtraq; daretur in ſenſu Ariſtotelico de affectis qualitatibus, & quantitate; dicendũ eſt illi abſq; vlla dubitatione, quod vtique poſſet, dummodo nõ eſſent in inęquali gradu actiuitatis qualitatiuę; de alijs, nõ eſt dubium, cũ inter illas non detur oppoſitionis pugna; verum eſt quod Ariſtotelici hoc concedere non poſſunt.

43 Non eſſet etiam ipſi primæ materię Ariſtotelis propria exiſtentia diſtincta ab exiſtentia formę deneganda, cum ab illa nullo modo dependeat, quamuis contrarium aſſerat Ariſtoteles quinto Metaph. tex. 13. nec ipſi eſſet concedẽda potentia aliqua ſuperaddita, qua mediante reciperet formas, & ex illa educerentur;

44 Forma ſubſtantialis Ariſtotelica, quæ per ipſum eſt ſubſtantia recepta in ſubiecto, ſi daretur non benè definiretur ab Ariſtotele ſecundo pyſicorum tex. 28. per eo quod ſit (ratio ipſius quodquid erat eſſe) benè tamen eſt definita ſic (eſt actus ſubſtantialis in ſuo genere completus primo ſubſtantialiter perficiens materiam) & quidem videarentur huiuſmodi formæ educerentur de potentia materiæ, non loquendo de cęleſtibus, Animaque rationali, faceretque vnum per ſe phyſicum phyſicè, cum ipſa materia, licet aliquando poſſet facere vnũ non corporeũ, quando ſcilicet non eſſet affecta quantitate, quia corporeitas formaliter à quantitate ipſa prouenit.

45 Com-

45 Compoſitum ſubſtantiale, quod ex parte perfectibili, & perfectiua conflatur non diſtinguitur realiter à ſuis partibus; quanquam aliter dicat Ariſtoteles 5. Metaph. cap. 14. 16. & alib. licet ipſæ partes vniātur adinuicem media vnica tantū vnione, diſtincta realiter modaliter ab illis, indiuiſibiliter recepta; quę quidem vnio eſt dicendū quod in negatione diuiſionis conſiſtat; nec in aproximatione, ſed eſt aliquod poſitiuum.

## *De natura, Cauſis, & Arte*

46 Non eſt negandum naturam eſſe optimè definitam perſequentem definitionem, vt pote (eſt principium diſtinctum à ſua operatione) quanquam illam alio modo definiat Ariſtoteles 2. phyſicorū tex. 3. ſicuti neq errabit philoſophus Naturale definiendo ſic (eſt id quod habet in ſe principiū diſtinctum à ſua operatione) diſtinguitur natura ipſa ab Arte, nō propter operationés diuerſas; Sed ſolū per modū operandi, quando ars poſſit efficere opera naturæ formaliter, & propriè; competit definitio naturæ poſita, non ſolum perfectiuæ parti, verum perfectibili, quamuis aliter defēdat Ariſtoteles libro 5. Metaph. cap. 4. conuenit, etiam priuationi, Cęlis, Angelis, necnon Animæ rationali.

47 Cauſa creata, vt ſic, optimè definitur per quod ſit principiū influens per influxū defectibilē; ſi autē de cauſis in particulari loquamur, cauſam efficientem ita debemus defenire (principium extrinſecum, extrinſecè per ſe influens in effectum per influxū deffectibilem, intrinſecè, vt quo perficiendo) quanquam Ariſtoteles lib. 2. phyſicorum ſumma tertia, cap. 1. tex. 9. aliter ſentiat.

48 Materialis autem cauſa bene definitur per hanc definitionem (eſt illa quæ concurit ad effectum per influxum perfectibilem, vel quę recipiendo vnionem aut perfectionem alterius partis perfectiuæ, primo concurrit) licet

ſit hoc contra Ariſtotelem in lib, 1. phyſiologico: Cauſa autem Ariſtotelis non eſt dubium quod explicitur dicẽdo (eſt principium, quod per vnionem ſui cum ſubiecto perfectionis illi dedominationem tribuit principalem). Cauſa verò finalis eſt illa cuius gratia aliquid fit; cuius cauſalitatẽ dicimus conſiſtere in ipſa bonitate obiecti prout actualiter cognita (loquendo de cauſalitate extrinſeca) ſi autem de intrinſeca, eſt illa bonitas, quæ mouet voluntatem, aut appetitum agentis.

49 Et quia cæteræ cauſæ etiã habent ſuam cauſalitatẽ, ideò cauſæ creatæ, vt ſic aſſignamus influxum defectibilẽ ſiue actuale, ſiue virtuale proindeque de ipſis in particulari loquendo cauſę materiali pro ſua cauſalitate aſsignamus ipſam receptionẽ actualem perfectionis perfectiuæ partis, aut vnionis loquẽdo de extrinſeca cauſalitate; quia ſi de intrinſeca eſt ſermo, dicimus quod eſt ipſa receptio virtualis, quæ habetur ab ipſa parte perfectibili reſpectu perfectionis perfectiuæ partis, ex ſuppoſitione quod talis perfectio non implicaret; quod tamen eſt contra Ariſtotelicos.

50 Cauſalitas cauſæ formalis, loquendo de cõſtituta in actu primo per influſum intrinſecum (cum cauſalitas nihil aliud ſit, quam id per quod conſtituitur cauſa in ratione cauſæ) dicendũ eſt, quod ſit ille influſus datorus modo perfectiuo parti perfectiuæ, ex ſuppoſitione quod talis pars nõ implicaret, & eius perfectibilitas; cauſalitas verò extrinſeca erit influſus actualis perfectiuus reſpectu partis perfectibilis, quando in ratione cauſę perfectiuę, & formalis per talem influſum conſtituatur, hoc tamen putamus non eſſe iuxta mentem Ariſtotelis.

51 Et ſi aliquis dicat quod non datur cauſa reſpectu effectus implicatiui, errat quia cum veritate nulla implicantia aſſignari poteſt, ſicuti quod duę cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, in eodem genere; & idem numero effectus à duabus cauſis totalibus totaliter concurrentibus, verum tamen eſt, quod hoc non tenet Ariſtoteles 5. Metaf. cap. 2.

52 Et quia cauſa efficiens ſupra deſinita alia eſt accidentalis alia ſubſtantialis (loquendo de creata) ideo inquirendum eſt, vtrũ

cauſa

cauſa accidentalis ſola poſſit producere ſubſtantiā principaliter; cui difficultati affirmatiuè reſpondemus cōtra Ariſtotelem primo de generatione tex. 54. & 55. non eſt etiam negandum quod cauſæ creatæ competat, vis creatiua vt cauſæ principali participatæ, licet hoc contra Ariſtotelem ſit.

53 Nec eſt etiam neganda ipſimet cauſæ ſecundæ vis agendi independentèr ab alia cauſa licet omnis actio phyſicè à Deo primario fit, vtà primo motore primaq; regula.

### *De Motu, & Infinito.*

54 MOtus, qui eſt actus entis in potētia, prout in potentia, diſtinguitur realiter ſicuti res à re, à fundamento, & termino, hoc eſt à principio effectiuo, & terminatiuo, ſubiectaturque in paſſo.

55 Quāquam de īfinito plura affirmari poſſint, nos ſolū dicimus quod poſſit dari aliqua Creatura infinita in eſſentia infinitate participata, de potentia Dei abſoluta, omniū perfectiſſima; ita quod Deus, non poſſit aliam perfectiorem creare; ſicuti alia omnium infima. & imperfectisſima; ſicuti etiam aliqua multitudo, ſiuè longitudo, aut intenſio naturaliter Cathegorematicè hęc tamen veritas opponitur Ariſtoteli libro 3. phyſicorum, tex. 4. vſque ad quinquageſimum ſecundum.

### *De Loco, & vacuo.*

56 LOcus optimè definitur à nobis ſic, eſt vltima ſuperficies cōmunis corporis cōtinentis immobilis primo, qua propter excludimus illam Ariſtotelis libro 4. phyſicorum cap. 4. nu. 46. videlicet eſt vltima ſuperficies corporis continentis immobilis primò.

57 Nec difficile exiſtimamus explicare eſſentiam vacui dicendo, (eſt vltima ſuperficies, ſiue ſit cōmunis, ſiue particularis corporis continentis, vt continens eſt ipſum corpus terminans, corpore non repleta) cum veritas philoſophica ſit.

*De Tempore, & continui Compoſitione.*

58 TEmpus (ne aliquis putet nos à via cōmuni, & vera recedere) ſolita definitione à nobis definitur ſcilicet (eſt mēſura motus ſecundū prius, & poſteriùs) & hanc definitionem defēdemus, quia contrariatur Ariſtoteli quarto phyſi. tex. 133.

59 Componitur ne tempus ex partibus. vtique reſpondemus, non autem ex indiuiſibilibus? ſicuti per partes etiā exiſtit, quod etiam eſt tenendū de continuo permanēte; quamquam hoc neget Ariſtoteles; ſicuti etiam negat 7. Metaph. tex. 49. quod dentur partes actu in continuo, tā proportionales, quàm aliquotæ.

## DE ORTV, ET INTERITV

*Rerum naturalium.*

60 DEfinitur ab Ariſtotele generatio lib. primo Cap 4 tex. 23. hoc pacto (eſt mutatio totius in totum nullo manente ſenſibile, vt ſubiecto eodem) quamquam nō benè; ſed definiēda eſt per eo, quod ſit (vnionis productio pluriū ſubſtantiarum ſimplicium adinuicem cauſatæ, per amicitiam, & inimicitiam qualitatum refractarum, ipſorum trium, vel duorùm elementorum, ; & quamuis Ariſtoteles idem 5. phyſic. cap. 2. tex. 8. & cap. 3. tex. 9. dicat ipsā generatio nē fieri in iſtāti, nō eſt veritas, quia fit ſucceſſiuè ſine dubio.

de

61 Vbi ſubiectetur ipſa generatio, apud nos non eſt nequũ aſſerere, quod in qualitatibus ipſis, elementis (nõ autem in vnione ipſa, aut miſto, neque in agente; quæquidem concluſio directè contra Ariſtotelem pugnans 2. de anima tex. 24. & 40. non eſt ab aliquo refellenda.

62 Non benè pronunciata eſt propoſitio Ariſtotelis lib 1. de generatione, & corruptione cap. 3. tex. 7. videlicet (propterea quia huius corruptio alterius eſt generatio, & huius generatio alterius eſt corruptio, inceſſabilẽ neceſſe eſt tranſmutationem eſſe) quam ſimiliter confirmat in eodẽ cap. tex. 20. & 11. 12. 13. quia contrarius eſt ſibi ipſi 2. de generatione tex. 25. vbi incipit (Rurſus autem) eo quod fundamentum non habet.

63 Quoniam vno contrario explicato, nobis eſt neceſſe alium explicandi; idcircò mota definitione generationis, corruptionis dare debemus. eſt ergo Corruptio ſubſtantialis (actus poſitiuus agentis naturalis cauſatiuus deſtructionis vnionis inter plura corpora ſimplicia nõ primo), quare fit, vt dicamus corruptionem per ſe intendi a natura, loquendo, tam de viuentibus, quàm non viuentibus, ſiuè animalium perfectorum, ſiuè imperfectorũ, loquendo tàm de fæmina, quam de maſculo; quod totũ contra Ariſtotelem eſt libro 1. de gener. cap. 3. tex. 11. & 1. de generatione animalium cap. 1. & 2. de Cælo cap. 5.

64 Si definitionem generationis viuẽtium aſſignare volumus, hæc prætermittenda non erit (eſt origo viuẽtis à viuente principio coniuncto, in ſimilitudinem naturæ) ad quam, tàm fœmina, quam maſculus actiuè concurrunt ſeminalitèr: non obſtantibus rationibus in contrarium adductis ab Ariſtotele primo de generatione animalium cap 2. & lib. 2. cap. 3.

65 Verum terminus generationis determinatè aſſignari poſſit, partem negatiuam non dubitamus ſuſtinere, ſiuè de termino à quo; ſiuè ad quem, ſiuè denominationis, aut informationis in ſenſu phyſico ſit ſermo; cum hoc dependeat ex diuerſa conſideratione noſtra facta in ge-

neratione ipſa, eſt tamen à mente Ariſtotelis hoc totum diuerſum.

66 Accidentibus ſubiectum, vt ſic non debet aſsignari. ſed cũ ordine aliquo ſcilicet primę qualitates immediatè, in elementis, à quibus inſeparabilitatem habent, cum ſint formæ intrinſecę ipſorum elementorum, & proprię, nõ quidem proprietate ex ſuppoſitione; ſed proprietate logica: deinde in eiſdem elementis ſimilibus qualitatibus affectis datur ſubiecti locus quantitati, non verò ſtat in mixto, vt dicunt aliqui, & præcipuè Ariſtoteles 2. Metaph. cap. 8. & primo Metaph. nec non 2. de ortu, & interitu tex. 6. Cæterę autem diſpoſitiones partim in mixto ſubiectiuè ſunt; & partim eſſe in elementis primis qualitatibus, & quantitate affectis ſubiectari dicendum eſt.

67 Deducenda eſt ergo ex concluſione poſita hæc alia concluſio, vt potè. Ergo etiam de potentia Dei non datur reſolutio vſque ad primã ſubſtantiã de accidentibus primis qualitatiuis, quod diuerſũ eſt ab Ariſtotelis opinione libro primo de generatione cap. 4. tex. 23. ſicuti etiam de quantitatiuis loquendo; hoc tamen non eſt ſemper verum de quantitate, quoniam cum ipſa non inducat trãſitum implicantiam, aliquãdo poteſt à ſubiecto ſeparari, cũ accidens præſcindens ſit, & ſecundum plures formalitates corrumpi poſsit, quanquàm non quoad ordinem.

68 Inter productiones rerum, quoniam locum habet creatio, tàm diuina, quã naturalis, hinc eſt, quod ſi volumus Creationem diuinam definire, oportet, vt ita illam explicemus (eſt productio entis ex nihilo, ſiuè ens ſit ſubſiſtens ſiuè non abſolutè abſq; vlla dependentia). Non eſt nihilominùs dicendum Creationem diuinam eſſe volitionem Dei formalem, neque relationem Creatoris ad Creaturam, aut è contra, ſed aſſerendum eſt, eſſe actionẽ poſitiuam realem diſtinctã à principio, & termino Creato ſicuti res à re.

69 Non negamus etiam virtutem naturalem in cauſis naturalibus ad reproductionem quarundam rerum, corru-

ptarum

parum; quanquam mordicùs Ariſtoteles, & Ariſtotelici hoc non defendant, vt conſtat ex ipſius Ariſtotelis operibus pluribus in locis, & præcipuè libro 5. phyſic. tex. 36 39. 41. & cum de oppoſitis cap 1. & ſphyſic. præcitato tex. 37. & de gen. tex 70. & vlt. & alibi.

70 Cum principia rerum naturalium ſint elementa prout determinatum eſt, non eſt fugienda hic eorum determinatio quoad numerum. Concedimus ergo abſque vlla difficultate, elementa (eſſe ſubſtantias ſimplices creatione productas abſque vllo ordine ad ſubiectum, ordinem intrinſecum nihilominùs retinens ad vnionē, & diſſolutionem naturalem, cum intrinſeca incorruptibilitate ſui) de numero ipſorū dicimus eſſe ternarium, vt ignis, terra, & aqua, quę nec plura nec pauciora eſſe ſuſtinemus, vnde fit vt meritò excludatur aer à ratione veri elemēti primi neque adhibenda eſt fides autoritatibus Ariſtotelis, & præcipuè libro 2. de ortu, & interitu rerum cap. 3. tex. 16. & 22. libro 2 de Cælo cap. 3. à tex. 17. vſque ad vigeſimum primum.

71 Formę intrinſecę elementorum primæ duæ qualitates ſunt, videlicet frigiditas, & caliditas a quibus duabus qualitatibus (vltrà quas alię non dantur) determinantur in eſſe elementari, non tanquam à formis phyſicis, aut Metaphyſicis, licet intrinſecis, & ſi Ariſtoteles libro 2 de generatione cap. 2. tex. 8. & 15. ponit illas in numero quaternario, errat, vt intuenti patet, & ideò ab eius via in præſenti recedimus.

72 Ex eo quod ſolum duę qualitates dētur, prout determinatum eſt: non benè arguitur quod ſolum duo elementa dentur; ſicuti ſi vna ſolum qualitas daretur, vt vnū elementum eſſet conſtituendum, quando ab alia ratione, quàm à numero qualitatum numerus elementorum deſumitur; vndè quamuis vna ſolum, ex qualitatibus primis daretur, adhuc plura elementa darentur, ſicut quatuor humores in corpore ſcilicet, bilis, atrabilis, flaua bilis, & pituita.

73 Quoniam tres Motus diuerſi in elementis tribus repe- riuntur, hinc oritur neceſſitas aſſignandi principia: quia tria, vt patè grauitas in ſummo, leuitas in ſummo, & gra- uitas media, ſeù æquiualens mediæ leuitati, pro principio motus elementorum aſſignatur, quæ quidem principia an ab elementis ipſis diſtinguantur, ſicuti res, affirmatiuè reſpondemus.

74 Figuram aquę eſſe rotundam, ſicuti, & terræ. ignis cir- cularem non eſt negandum; verum eſt quod ponere pri- mam ſuperficiem ignis concauam non eſt error, ſicu- ti dicere quod ſuperior ſit alijs elementis quoad locum, & aqua inferior ipſo; quamuis ſuperior terra, & terra omnium infima veritas eſt; & ſi phyloſophus aliquis di- cat nobis in quo gradu elementa participant qualitati- bus, optimè reſpondebimus ipſi dicendo, aquam eſſe fri- gidam, vt octo; ignem calidum vt octo, terram autem vt ſex frigidam, qui quidem gradus inuariabiles ſunt in il- lis, tàm quoad augmentum, quàm quoad decremẽtum.

75 Qualitates intenſibiles, quęqunque illę ſint ſemper per maiorem radicationẽ in ſubiecto intenduntur; quod di- ſtare habet fudamentis Peripatetici libro quinto phyſi- corum tex. 19. neque eſt negandum duas qualitates con- trarias poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto, dũmodo in æ- quali intenſione ſint; ſicuti plura accidentia numero di- ſtincta in eadem parte naturaliter.

76 Tranſmutantur elementa diſſymbolica adinuicem im- mediatè, non autẽ ſymbolica, hæc difficiliùs, illa faciliter denominantur.

77 Miſtio quę per nos (eſt miſtilium minutatim diſecato- rum mutuò certantium continuatio) admiſſa materia, & forma Ariſtotelica impoſſibilis eſt naturali virtute, po- teſt tamen dari de potentia Dei; negata tamen ipſa mate- ria, & forma Ariſtotelica, nõ ſolum eſt poſſibilis natura li virtute, verum quotidie datur in natura rerum.

78 Non benè definitur nihilominus ab Ariſtotele miſtio, libro primo de generat. cap. 8. tex. 90. dicente (miſtio

ſi autem, eſt miſtilium, alteratorum vnio) data ſua materia,& forma,ſed dicendum eſt nobiſcum. Miſtio(eſt generatio miſti ex miſtilibus minutatim diſecatis, & cõfuſis): ſi poſtea tollatur talis materia & forma, vt de facto tolli debet in ſenſu Ariſtotelis ſtando, definitio poſita à nobis in calce antecedentis concluſionis tenenda eſt, vt legitima.

79 Quid ad miſtionem requiratur? Multi dicunt requiri vt miſtilia ſint ſubſtantia, in quorum numero peripateticus exiſtit etiam; licet falſum ſit: verum eſt quod eſſe debent corpora, non tamen habere debent aliquam materiam cõmunem, quemadmodũ idẽ peripateticus aſſerit; quãuis certum ſit, quod debeant habere virtutem actiuam, & paſſiuam mutuam, quando ſcilicet miſtio ſit vi naturali; quia cũ vi diuina euenit hoc nõ requirunt. Aſſerimus ſimiliter ipſa debere eſſe diuiſibilia, ſicuti diuerſę ſpeciei etiam, & actiuæ virtutis attemperatę, vt vnum miſtile nõ deſtruat alium, & quęlibet pars miſti miſta dicatur.

80 Elementa manere formaliter in miſto apud Doctores, veridicos certum eſt, cum ipſum formaliter componant, nec præbere debet phyloſophus aſſertum verbis Ariſtotelis primo de generatione cap. 8. tex. 84, contrarium docentis.

81 Certum eſt multum laborare phyloſophos, an agens agat indiſtans naturaliter, abſque interuentu alicuius contactus, ſiuè virtutis, ſiuè ſuppoſiti; cui dificultati affirmatiuè reſpondemus; non poteſt tamen hoc facere extra ſuam ſphęram, etiam de potentia Dei abſoluta; ſicuti nec calor vt octo v. g. poteſt calorem vt octo producere; interoganti verò quænam ſit ſphæra agentis, Reſpondendum eſt, eſſe totam latitudinẽ obiecti, & loquendo quoad diſtantiam, ad virtutem, tam intrinſecam, quam extrinſecam.

82 Quod agens naturale vehementiùs agat per lineam rectam (extenſiuè loquendo) quàm per obliquam certum eſt, quamuis intenſiuè ęquali modo agat; nec eſt ponen

dum in controuerſia, vtrum agens agendo repatiatur, cũ experientia clarum ſit; non agit tamen pars paſſa in repaſſam propria actione; & hoc per nullam potentiam eſſe poteſt, agit nihilominus in non paſſam partem, & hoc cum indiſtantia eſſe poteſt, quamuis contrarium doceat peripateticorum Magiſter 7. phyſicorum cap. 2. tex. 8. & primo de ortu cap. 6. quartę ſummæ tex 78. cum de Tactu, debent attamen tam agens, & paſſum habere omnes diſpoſitiones; hoc eſt, vt virtus actiua agentis attemperata ſit vi paſſiuę paſſi, & de agentibus his naturalibus aliquod ab ęterno eſſe potuit; quanquam non ęternitate diuina.

## *De Anima.*

83 Animum Rationalem non eſſe temperamentum aliquod, vt fatuè aſſerebat Galenus, atque adeò, nec accidens eſſe; ſicuti ante corporis formationem creatam non eſſe fatendum eſt; non eſt tamen definienda, ſicuti illam definire ſolent Ariſtotelici cum Ariſtotele lib. 2. de Anima, tex. 6. v. (eſt actus corporis naturalis, potentia vitam habentis) quia fruſtaretur mens Concilij Lateranenſis, & Viennenſis; ſed talis definitio reiicienda eſt, necnon illa alia, quæ ab eodem traditur cap. 2. eiuſdem libri 2 nempe (anima Rationalis eſt in quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus).

84 Definitur ergo à nobis anima Rationalis ſic (eſt actus ſpiritualis phyſicus, non phyſicus per ſe miſti per actum phyſicum, phyſicum, phyſicè conſtituti in eſſe organici, à miſto cum quo ſtat ſeparabilis per mortem, corruptione expers, immortalitate pręditus, & ad beatitudinẽ ordinatus a Deo à quo creatur), & quoniam non ſine controuerſia ſtat inter Doctores, an s. vna tantũ anima in homine detur, quæ ſit vegetatiua, ſenſitiua, loco motiua, & rationalis ſimul; aut quatuor entitatiuè diſtinctæ, vt in poſterum

ſterum

ſtrum eſſet apud nos talis; difficultas quatuor entitatiuè diſtinctæ à nobis admittuntur in vnoquoque ex hominibus; videlicet. Rationalis; vegetatiua ſenſitiua, & loco motiua. eſt contra Ariſtotelem, & Ariſtotelicos hæc propoſitio l. de Anima citato cap. 2.

85 Eſt ipſa anima Rationalis indiuiſibilis (ſtante quod quātitas principium diuiſibilitatis ſit) incorporea ſpiritualis ſubſtantia, nō tamen ita eſt ſenſitiua animá vegetatiua, & loco motiua, quando iſtæ tam animantibus perfectis, quam imperfectis diuiſibiles ſint non ſecundum ſe totaliter, ſed quia cum principio diuiſibilitatis admiſceri poſſunt.

86 Non eſt negāda propria ſubſiſtentia animę, quęcunque illa ſit, ſed abſque dubio ipſi concedenda eſt, licet Rationalis, vt creetur à Deo dicendum ſit; quod opponitur Ariſtoteli neganti creationem; non dubitamus tamen aſſerere, quod ſi anima non crearetur à Deo ſed generaretur, non ex alio generata eſſet quam ex alia anima v. g. anima filij ex anima patris, & matris.

87 Cum munus Rationalis animæ ſit informare, vt declarant Cōcilia, hinc eſt quod nos dicimus ipſam eſſe veram formam corporis, qua, nō ſolum aliqua pars informatur ipſius corporis, vt dicit Ariſtoteles de motu Animalium cap. 7. ſed tam ſanguis nutrimentalis, quam naturalis, vngues, capilli, oſſa animantur anima prædicta: verum eſt vnum ſcilicet quod tanquam in ſede principali in Capite reſidere habet, de animabus alijs, dicimus quod earū virtute plura animantur, videlicet animalia, Brutalia vegetatiua, ſenſitiua, & loco motiua animantur; Terra, Metalla, & plantæ anima ſenſitiua & vegetatiua animātur, ſaltem analogicè; & de hac re, non eſt difficultas ſicuti quod dentur partiales formæ in animalibus.

88 Licet anima ſit actus, non eſt, tamen purus, cum ens creatum ſit, prout ſuperius dictum eſt: eſt tamen abſque vlla potētia, ſed eadem entitas indiuiſibilis, prout ad vnū obiectum terminatur, dicitur intellectus, ſcilicet quatenus

tenùs ad verum, quatenùs verò ad bonum terminatur, vocatur voluntas, non eſt etiam credendum, quòd ſi prędictę potentiæ in rationali anima darentur, quod ab illis diſtinguerētur pluſquam ratione; quod de alijs animabus reſpectu ſuarum potentiarum, ſiquæ in illis eſſent diſcurrendum eſt.

89 Et quamuis anima non ſit ens perfectiſſimum inter entia creata, eſt actamen tantę perfectionis, vt ad ſuas operationes eliciendas non indigeat ſpeciebus impreſſis, nec alię Animę ſpeciebus ſenſibilibus; hac ergo de cauſa tàm ſenſibiles ſpecies, quàm intelligibiles negamus.

90 Ea propter negatur à nobis intellectus agens in anima rationali, quamuis ab Ariſtotele ponatur in ipſa libro 3. de anima in ſuo ordine tex. 17. Conceditur tamen à nobis obiectum animæ prout intellectus vocatur eſſe omne verum in tota ſua latitudine, necnon omne falſum, voluntatis verò bonum omne, aut quod ſub tali ratione apprehendi poteſt ſimul cum omni malo.

91 Quanquam, anima prout voluntas eſt non ſit ſeipſa nobilior prout intellectus eſt quoad entitatem, eſt tamē nobilior prout intellectus eſt quoad modū acquirēdi obiectum; licet quoad modum tendendi in ipſo intrinſecè prout volūtas eſt nobilior ſe ipſa ſit prout eſt intellectus. verum, ac indubitatum eſt prauitatem voluntatis prouenire à prauitate intellectus ſicuti etiam tenemus ſpecificationem terminationum ipſius animæ à diuerſitate formalitatum in obiecto exiſtentium deſumi, & hoc vltimum de alijs animabus à rationali etiam verificatur.

92 Rationali animo competere immortalitatem eſt nobis de fide contra Ariſtotelem, & Epicureos, quare de hac re non dubitamus nec dubitandum eſt. Fatendum eſt tamen illam in ſeparationis ſtatu non habere ſenſus, cognoſcere intuitiuè ſpiritualia, non tamen per cognitionem diſiuntiuam; nec poſſumus dicere illas habere habitus erroneos loquendo de beatis, quia de damnatis poteſt eſſe verum ob eorum luctum, ſicuti nec ſcientię

pro-

probabiles beatę animæ retinere non habent, cum tunc omnia clara ipſis ſint, ſicuti ſunt.

93 Nec eſt dubium, principium motiuum, quo in corpore mouebatur amittere in ſeparationis ſtatu, & alium accipere, quoad ſuum locum terminatiuum mouetur ſiuè bonum, ſiuè malum. Quę in Deo videant beatæ animæ dico quod omnia quæ in illo formaliter ſunt, & aliqua ex illis quæ eminenter, & ſi dicerem quod omnia etiam, nō errarem; quia dato hoc adhuc nō compręhēderent Deū.

94 Vegetatiua anima, quę à nobis rectè definitur (eſt principium, quo viuens auget ſeipſum & nutrit, ſibi ſimilem generat, (vbi organa ſeminalia ſunt) ſi haberet potentias in ſe: tres ſolum haberet, nec plures, nec pauciores, videlicet, agumentatiuam, generatiuam, & nutritiuam, quarum duo certum eſt realiter diſtingui, vt pote nutritiua, & augmentatiua; ſicuti etiam, quod & nutritio ſit ſucceſſiuè, & quod viuens animal non manet idem numero (quoad corpus) in ſenectute, ac in iuuētute, de qua re poſſumus tamē in vtrāque partē inclinare.

95 Senſitiua anima quid ſit, nomen ipſum indicat, ſicuti quot ſint ſenſus etiam paruulis notum eſt; ſolum, de internis poteſt eſſe difficultas, non an dentur, quia experiētia docet illas eſſe in animalibus ſcilicet ſenſus communis fantaſia, &c. ſed dubium reſtat de diſtintione cōmunis ſenſus, & fantaſiæ, quare nos determinamus non diſtingui eos realiter, cum habeant vnum, & idem obiectum, ſed ſolum extrinſecè, & per modum ferendi in illo, quod de extimatiua dicimus etiam contra Ariſtotelem libro 3. de anima tex. 60.

96 NAturalis Theologia; quæ multũ à rebus materialibus, & ſenſibilibus abſtrhait; habet pro obiecto adequato, ens vt ſic, abſtractũ à materiali, & ſpirituali; ſubſtantiam ſpiritualem completam, accidentia, & attributa eiuſdem ſubſtantię, conceptus entis per accidens, & ens rationis ſi datur; & hoc de materiali diximus; de formali loquendo damus huic ſcientiæ abſtractionem dictorum entium abentitatibus indiuiduis, & defferentialibus ſpecificis. quodnam obiectorum partialium huius facultatis primum locum occupet, dicendum eſt, quod Deus, angeli, ſeu ſubſtantię completæ ſpirituales. Attributionis vero obiectum ſuũ, erit Deus opitimus maximus.

97 Ens quod ab eſſendo tale vocatur habet conceptum cõmunem in noſtro intellectu omnibus entibus in cõmuni abſque eo, quod in particulari, hoc vel illud ens cognoſcatur, qui quidem cõceptus eſt obiectiuus, correſpõdens conceptui formali entis, vt ſic omne ens in confuſo repreſentans, abſque vlla expreſſione ſiuè primę, ſiuè ſecundę ſubſtantię, ſiuè angeli, aut Dei.

98 Negandum eſt nihilominus à parte rei dari vnionem quę formaliter traſcendat in omni ente, quamuis in mẽte etiam à nobis hoc concedatur; non ſolum in entitatibus realibus: ſed etiam modalibus; vtrum modus eſſe poſſit ſine re, & è contra dicimus, quod vtique modus miraculosè poteſt ſtare ſine re, non tamen res ſine modo.

99 Enti, vt ſic tria attributa concedenda ſunt ab omnibus, ſcilicet bonum, verum, & vnum; à quo non diſtinguntur niſi formaliter, ſicut, nec abinuicem illos alia diſtinctione a præcicta diſtinguerè poſſumus, quamquam, ab ente inſeparabilia ſint totaliter; & licet à multis duo alia attributa ſupra numerum aſſignatum, ponantur, videlicet, res, & aliquid, hoc malè aſſignatur & idcircò nos à ratione attributi dicta reiicimus.

100 Subſiſtentia optimè definitur dicendo (eſt perfecta rei determi-

terminatio non ordinata ad ulteriorem tanquam ad finem)
quæ quidem ſubſiſtentia ità definita non eſt modus; ſed res,
non item eſt accidens, ſed ſubſtantia, quæ in creatis à natura
diſtinguitur realiter, non autem in diuinis; quod in crea-
tis habet etiam reſpectu eſſentiæ, & exiſtentiæ, quã-
quam ſit actus vltimus non ordinatus ad alium,
tanquam in finem, prout dictum eſt; vni-
ca natura nihilominus ſuppoſitari
duplici ſuppoſito naturaliter
non implicat; ſicuti nec
vna natura, aliena
ſubſiſtentia ſup-
poſitari;
&
eodem numero ſubſiſtentia duplicem naturam terminare:
aduertendum eſt, ex hac re tamen, quod ſi dupplici
ſubſiſtẽtia humana natura ſubſiſteret poſſet di-
ci duplex homo formaliter; è contra ve-
rò ſi vnum ſuppoſitum duplicem
naturam terminaret.

*Diſputabuntur publicè in Comitijs Generalibus Ordinis Minimorum S Franciſci de Paula. Anno 1646. Die, Menſis Hora*

*Obiectis ſatisfaciet idem R.P.F. Ioan Baptiſta Nerius à Petraſancta eiuſdē Ordinis Prouinciæ Tuſciæ Commiſſus.*

---

# FLORENTIAE,

*Apud Dominicum Giraſſium: 1646.*
*Superiorum permiſſu.*

z
1038.31

XII
NER.

1034. 37